

edito 1 oct. 1626. « in Generali Congr. S. R. et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram S. D. N. Urbano Divina Providentia Papa VIII. et Illustrissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus a S. Sede specialiter deputatis, Sanctissimus D. N. iustis de causis animum suum moventibus decrevit, et statuit, ut in posterum Regulares omnes eujuscumque Ordinis, Religionis, Societatis, et instituti, quibus pro delictis ad S. Inquisitionis Officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, et officia inkabiles conseantur, et deinceps (etiãmsi pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta a S. D. N. vel ab hac Sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda, speciali et expressa rehabilitatione; alias promotio quælibet nulla sit, et promoventes ipsi privationem suorum Officiorum, ac præterea vocis activæ, et passivæ ipso facto incurrant, ad quæ restitui nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem Sac. Congr. coram Sanctitate sua habenda non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religionum Superioribus intimari mandavit idem S. D. N. »

THOMAS de FEDERICIS, S. R. ac Universalis Inquisitionis Notarius substitutus.

(35. Hinc nequit eligi ad Prælaturas Regularis ille, qui abjuravit in Sancto Officio, etiãmsi de levi; Regulares enim, quibus aliqua pœna imposita est a Sancto Officio, salutaribus tamen pœnitentiis exceptis, ex cit. Decr. Urb. VIII. redduntur inhabiles ad omnes gradus et Officia; abjuratio autem, etiãmsi sit de levi, est pœna, quæ per sententiam debet fieri, ut constat ex stylo Generalis et Universalis Sanctissimæ Inquisitionis Urbis, ut testantur Carena, tract. de Officio SS. Inquisitionis part. 3. tract. de Abjurat. § 4. num. 11. Pegna. Com. 41. 3. part. Director. Inquisit. sub tit. de quinto modo terminandi processum num. 166. lit. D. Diana par. 4. tract. de Of. et potest. Inquisit. resol. 64.

(36. Septimo, eligi non possunt Hæretici, textu expresso in cap. Quicumque 2 § Hæretici, de Hæreticis in 6. ibi: « Hæretici autem, Credentes, Receptatores, Defensores, et Fautores eorum, ipsorumque Filii usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium publicum admittantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, et inane. » (37. Sic nec etiãmsi Schismatici; arg. c. Quia diligentia 5, de Elect. ubi electio Schismatici ad unionem Ecclesiæ redeuntis dispensative solum permittitur confirmari; Abbas

(1) Controversum est inter Doctores an habens filios sive legitimos sive illegitimos possit ad Ecclesiasticas dignitates promoveri. Utranque opinionem ex-

ibid. n. 1. Barbosa ib. n. 2, et alii passim. (38. Octavo, eligi non possunt in Episcopos Neophyti; c. Prohibentur 2, dist. 48, ibi: « Prohibentur autem Neophyti in Episcopos ordinari, ut qui heri erat Catechumenus, hodie non fiat Episcopus, qui heri erat in Theatro, hodie non sedeat in Ecclesia, qui vespere erat in Circo, hodie non ministret Altari; qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator Virginum. Causa autem hujus prohibitionis est secundum Apostolum, ne elatus in superbiam, tamquam Religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam Diaboli. » (39. Nono eligi non possunt spurii, et illegitimi; c. Cum in cunctis 7, de Elect. et ibi Glossa communiter recepta verb. Matrimonio. (40. Decimo, eligi non possunt Laici, qui enim nec dum sunt Tonsurati, sunt inhabiles ad quodlibet Beneficium, ita ut nec sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari; arg. c. Ex literis 6, de Transaction. et notat Glossa fin. et Abbas ibid. Aliter electio facta in personam Laici nondum Tonsurati, ipso jure est nulla, cum Laicus sit incapax omnis juris Ecclesiastici, c. Causam 7, de Præscriptionib. c. Cum adeo 17, de Rescriptis, c. Contingit 8, de Arbitris, c. Decernimus 2, de Judiciis, c. In Ecclesia 2, de Institution. (41. Undecimo, eligi non possunt Bigami, servi, et hujusmodi; arg. c. Infames 17, caus. 6, g. 1, ibi enim tales, aliique similes prohibentur promoveri ad sacros Ordines, unde a fortiori debent prohiberi promoveri ad Ecclesiasticas Dignitates, et Prælaturas (1).

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(42. De materia hujus articuli late æque egregie disserit Louvrex Dissert. Canon. 5, per tot. Eum, ubi res postulat, consule. Hic vero non est prætereundum, quod Canonici tum Cathedralium, tum Collegiarum, tametsi sint de capitulo, non aliter jus eligendi habent, quam si in sacris sint constituti, ut sancitum est in c. Ex eo § An Ecclesiis, de Elect. in 6, et in Clementina Ut ii, de Ætat. et qualit. et innovatum est a Concilio Trid. sess. 22, c. 4, de Reform.

(43. Nota vero, quod necesse haud est, ut de tempore vacationis Beneficii Canonici in sacris sint constituti, sed satis est, si de tempore electionis constituti sint in sacris. (44. Idque etiãmsi ex dispensatione Pontificia ordinati sint ante ætatem ordinariam; Louvrex Diss. Canon. 5, n. 8, et seq. Barb. de Canon. c. 36, n. 3. Tambur. de Jur. Abb. tom. 1, disp. 5, quæst. 8.

(45. Utrum vero jus eligendi habeat Canonicus proprietarius, an vero Canonicus possessor; (46. tum an jus eligendi habeat Canonicus post Canonicatus resignationem, vel vacante Canonicatu per alterius incompatibilis assecutionem, expendit Louvrex dict. Dissert. Canon. 5, a num. 10, ad plur. sequent.

pendit. Zoes. in Decretal. lib. 1. tit. 7. n. 38, et 39 et non efficere concludit. (EDIT. BARBIEL.)

(47. Pacifica haud est opinio Auctoris n. 13, et seq. quod interdicti, et irregulares haud possint eligere. Consule inter alios Zoes. in Decr. lib. 1, tit. 6, n. 16, et seq. (48. Pro opinione vero Auctoris est Passer. de Elect. c. 10, n. 99, et plur. seq.

(49. Admissio excommunicati ad eligendum, an irritam reddat electionem, vide apud Zoes. Decretal. dict. lib. 1, tit. 6, n. 8, et seq.

#### ARTICULUS III.

Electio quoad ea quæ concernunt electores.

(1. Electores habentes legitimum jus ad suffragandum, sive sint absentes, sive præsentis, vocandi sunt ad electionem novi Prælati: c. Cum inter universas 18, c. Coram Dilecto 35, et c. Quia propter 42, de Election. (2. Si tamen sint nimis distantes, non sunt de necesse vocandi; cap. Cum inter universas, ibi: (3. « Quamvis Ecclesiastica Constitutio non exigit, ut ad electionem Pastoris, Canonici tam remoti vocentur. » Quænam autem requiratur distantia sufficiens pro ipsis non vocandis standum est specialibus consuetudinibus, et Constitutionibus, ut colligitur ex cap. Quod sicut 23, de Elect. et sufficit ut commode vocari non possit, sive sit in Provincia, sive extra; ad finem enim citandi absentes sola commoditas attendenda est, juxta cit. cap. Quod sicut, et c. cit. Quia propter. Donat. in Prae. rer. Regul. tom. 2, tract. 4, q. 13, n. 1. (4. Electores vocati non possunt cogi ad interessendum, nisi agatur de magno præjudicio Ecclesiæ; cit. c. Quod sicut; et cit. c. Quia propter 42, de Elect. ibi: « Qui debent et volunt, et possunt commode interesse. » (5. Electores absentes, et legitime impediti possunt eligere per Procuratorem, textu expresso in cit. c. Quia propter 42, de Elect. ibi: « Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio Procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco de quo debeat advocari, juxta impedimento detentus venire non possit; super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento, et tunc si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. » Et clarius habetur in cap. Si quis 46, de Elect. in 6, ibi: « Si quis justo impedimento detentus in electionis negotio nequeat commode interesse, potest nedum uni, prout dicitur in Concilio Generali, » (id est in cit. cap. Quia propter) « sed et pluribus committere suas vices, dum tamen eorum cuilibet det in solidum potestatem, et erit tunc melior conditio occupantis. Verum si ambo concurrant insimul, et postulent se admitti, audiri eos non expedit, quia possent vota sua dirigere in diversos, sicque res non haberet exitum, et quod ab eis hoc casu fieret, non valeret, sed is admit-

(1) Dum Auctor dicit, posse electores absentes, et legitime impeditos eligere per Procuratorem, id sic est intelligendum, ut possint quidem absentium suffragia per aliquos ab ipsis electoribus absentibus, vel ab ipso Capitulo destinatos suppleri, si id liceat per Constitutiones talis Ordinis a S. Sede approbatas; minime vero ut suppleri possint vel a Præsidente electionis vel a Capitulo propria auctoritate. Vetitum

tatur dumtaxat, quem Capitulum, vel pars major elegerit; vel si concordare nequeant, is qui primo in Instrumento, vel Litteris procurationis extiterit nominatus, etc. » (6. Si nemo velit hanc procurationem recipere, non potest Elector absens eligere per Epistolam, textu expresso in cit. c. Si quis 46, de Elect. in 6, § Absens, ibi. « Absens quoque (licet nullus de Collegio velit esse Procurator ejusdem, nec ipse, nolente Capitulo, extraneum valeat deputare) non poterit aliquatenus per litteras exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secreta, et sigillatim tantummodo exprimendum. » Vide tamen quæ tradita sunt in verb. Absens, art. 1, n. 8, 9 (1).

(7. Electores tenentur sub gravi investigare de idoneitate personæ eligendæ; cap. Cum in cunctis 7, de Elect. Negligendo enim talem inquisitionem, seu investigationem in re gravi delinquant; cap. Ea quæ 3, de Officio Archidiacon. cap. Nulli 1, dist. 19, c. Dictum 18, dist. 8, dum ratione officii, contractus, vel quasi contractus tenentur præcavere ne eligantur indigni, aut minus idonei cum nimio præjudicio Ecclesiæ, et animarum ad ejus regimen assumuntur. (8. Hinc electores eligentes indignum, id est cui desunt qualitates ad sic promovendos de jure requisitas, ultra peccatum mortale quod incurrunt, ipso jure privati existunt pro una vice potestate eligendi, textu expresso in cit. c. Cum in cunctis 7, de Elect. § fin. ibi: « Eligendi tunc potestate privatos se noverint; » et concordat cap. Cum Vintoniensis 25, et cap. Scriptum est 40, de Election. (9. Hæc autem pœna privationis potestatis eligendi non incurritur, nisi sequatur communis electio indigni, quamvis semper peccetur mortaliter dando scienter suffragium indigno, textu expresso in c. Perpetuo 7, de Election. in 6. ibi: « Declaramus quod scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio præstitum (nisi adeo in eo perstiterint, quod ex votis eorum communis electio subsequatur) nequaquam eligendi potestate priventur, licet pro eo, quod indignum nominando, scienter contra conscientias suas agunt, et divinam vindictam, et Apostolicæ ultionis metum, quem qualitas facti suaserit, possint non immerito formidare. »

(10. Eligens indignum, et asserens se id ignoranter fecisse, cogitur probare ignorantiam; arg. cap. Innotuit 20, de Elect. ubi Pontifex eligentibus indignum, solum ex gratia remisit, quod non cogentur probare ignorantiam quam allegabant; et notat ibidem Glossa verbo Ignorantiam, et Abbas n. 7. Non enim potest præsumi rationabiliter ignorantiam de qualitatibus eligendi in Ele-

namque hoc esse aperte colligitur ex Sacra Congregationis Decreto 5. Decembris 1644, quod ex Pignatell. refert Matthæucci cap. 18, Officialis n. 19. Sacra Congregatio « censuit cavendum, ne deinceps Titulares constituantur ad effectum electionis faciendæ, aut voces et suffragia absentium suppleantur: » quod in sensu exposito intelligunt laudati Pignatell. et Matthæuc. (NOT. ROM. THEOL.)

ctore, qui tenetur ex officio eas inquirere, et investigare, et si non investigaverit, non potest excusari ignorantia, quia cum in tali casu ignorantia fuisset crassa, supina, affectata, et vincibilis, non est censenda causa, sed effectus negligentiae, atque adeo non potest excusare Electorem, uti non excusabat Episcopum Antisiodorensis in non observato Interdicto, cap. *Ad hæc 1. de Postulat. Prælator.* et confert. cap. *Cum in tua 6. Qui Matrim. accusar. possent, l. Nec supinam 6. ff. de Jur. et facti ignor.* (11. Eo magis cum Elector et possit, et debeat talem negligentiam tollere, non tollendo autem impedimentum ignorantiae, approbat impedimentum; argum. cap. *His quibus 60. de Election.* et Glossa ibi. verb. *currit.* Eligens scienter indignum peccat graviter, etiamsi sciat se nihil profecturum per denegationem sui suffragii, ex quo omnes alii Electores velint eligere talem indignum; et ratio est, quia eligere indignum est ab intrinseco malum, adeoque nulla ratione potest esse licitum, unusquisque enim tenetur quantum in se est prospicere bono communi, quod semper præferendum est bono privatorum; et præstat mori quam mortaliter peccare, quia mors animæ magis quam corporis est timenda, ut recte observat doctissimus Donatus loc. c. q. 26, n. 7. Si autem alii parati sint eligere indignum, ipsi viderint; quilibet tamen tenetur conscientiae suæ consulere, et quantum ex se est, non concurrere ad talem indigni electionem, et illi resistere, quia ex c. *Error.* 3. d. 83. « Error, cui non resistitur, approbatur. . . Neque caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. » Lezana part. 1, c. 15, n. 14. Vasquez. Opuscul. *de Benefic. c. 2, § 3. dub. 3. Matthæucc. Officialis Cur. c. 18. sub n. 4. et c. 28. n. 2.* et communiter Doctores apud Peyrin. *de Subdit. q. 5, c. 31, q. 3, § 2.* ubi disputat ad partes, et acriter reprehendi pusillanimes.

(12. Non debent tamen, nec possunt Electores denegare suum suffragium ei, quem per solam confessionem Sacramentalem noverunt indignum. Electores enim talem indignum per solam confessionem cognoscentes tenentur se gerere circa ipsum in foro externo, ac si nihil in foro Sacramentali novissent, adeoque tenentur ei suffragari, ne frangant sigillum Confessionis, et ne reddatur odiosa Confessio. Et sic tenent fere communiter Doctores contra paucos apud nitidissimum lumen Illustrissimæ Religionis Prædicatorum Hyacinthum Donatum l. c. qu. 29, n. 6. Et desumitur ex Constitutione Clementis VIII. edita pro casuum reservatione incipiente *Sanctissimus Dominus*, ibi: « Tam Superiores, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum assumpti fuerint, caveant diligentissime ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. » Ex quibus verbis clare patet contrariam opinionem, saltem respectu Regularium, hodie non posse sustineri, et violatores prædictæ Constitutionis peccare mortaliter contra præ-

ceptum formale obedientiae importatum per illa verba, *Caveant diligentissime*, et fieri sacrilegos, et incidere in poenas severissimas ad terminos c. *Sacerdos 2. dist. 6. de Pœnit.* et c. *Omnis utriusque sexus 12. de Pœnit. et remiss.* prout ex multis ostendit Peyrin. tom. 2. *de Prælat. qu. 3. cap. 2, § 2, num. 46.* Donat. loc. cit. num. 20.

(13. Electores tenentur sub mortali eligere eos quos digniores, et Ecclesiae magis utiles esse judicaverint; sic Concil. Trid. sess. 24, cap. 1. *de Reformat.* ubi expresse definit: « Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint; » Unde Innocentius XI. contra aliter sentientes die 9 Maii 1679. damnavit sequentem propositionem 47. in ordine « Cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus; » Et consonant Sacri Canones, et signanter cap. *Metropolitano 19. dist. 63.* ibi: « Optimus ordinetur; cap. *Licet 15. caus. 8. quæst. 1.* ibi: « Qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad Sacerdotium, et cap. *unic. ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, ibi: « Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum Beneficium in personam magis idoneam dispensare cum similibus. »* Accedit ratio, quia violatio Justitiæ distributivæ, vel commutativæ per acceptationem personarum est de suo genere peccatum mortale, unde dicitur Jacobi 2: « Nolite in personarum acceptatione habere fidem Domini nostri Jesu Christi. » In electionibus autem, Provisionibus, et Collationibus præferre minus dignum digniori, est manifeste utramque justitiam violare, cum Prælatu, Dignitates, et Beneficia Ecclesiastica sint bona communia, meritorum præmia, et digniorum honores, ordinata in bonum Ecclesiae, et bonum ipsius electi, ergo, etc. Hinc S. Hieronymus relatus in cap. *Moyses 6, caus. 8, q. 1.* sic dicit: « Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem locutus est Deus, potuit utique successores Principatus filios suos facere, et posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribu eligitur Jesu, id est Josue, ut sciremus Principatum in populo non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quarant eas in Ecclesia columnas erigere, quas plus cognoscant Ecclesiae prodesse, sed quas vel ipsi amant, vel quarum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus a majorum quispiam rogaverit, et ut

deteriora taceam, qui ut Clerici fierent muneribus impetrarunt; » et S. Augustinus *epist. 29 ad Hieronym.*, ait: « Quis ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris, contempto paupere instructiore et sanctiore? » et sic tenent D. Thomas 2. 2. q. 63, art. 2. Divus Antonin. part. 2, tit. 1, cap. 20. et alii communiter.

(14. Obligatio sub gravi eligendi digniorem non solum procedit de Episcopis, et S. R. E. Cardinalibus de quibus expresse loquitur Concil. Tridentinum cit. sess. 24. cap. 1. *de Reformation.*, sed etiam procedit de omnibus aliis, qui habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, uti sunt Abbates, Commendatarii, Archimandritæ, alique hujusmodi Prælati nullius Diocesis, ac Prælati Regulares: sic cum communi Joan. Cardenas in *Crisi Theologica* super Proposit. 47. Innocent. XI, cap. 2. numer. 11. Lugo disp. 35. *de Justit. n. 53.* Diana p. 3, tr. 14, resol. 12. Reiffenstuel loco citato num. 240. et alii passim. (15. Obligatio sub gravi eligendi meliorem procedit etiam de promovendis ad Ecclesias Parochiales, ut colligitur aperte ex Concil. Trident. sess. 24, cap. 18 *de Reformat.* ubi præcipit Episcopis, ut ex nominatis ab Examinatoribus tamquam dignis, eligant, et exquirant digniores, ibi: « Episcopus eum eligat quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, et non alteri collatio Ecclesiae ab eo fiat, » et infra ibi: « Tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, » et habetur ex Constitutione S. Pii V, incipient. *In conferendis*, et sic communis Doctorum, teste Passerin. cap. 30. *de Electione*, num. 1. et Cardenas loc. cit. cap. 4, numer. 40. et Joann. Maria Nogar. in *Theologia Radicali* tract. 15, num. 10. cum aliis dicunt aliter sentientes incurrere damnationem cit. Propositionis 47, ab Innocentio XI proscriptæ.

(16. Electio digni, prætermissa digniore, est valida, quamvis ex dictis sit illicita; colligitur ex cap. *Cum Nobis, § His igitur 19.* et cap. *Cum Dilectus 32. de Election.* et tenet communis Doctorum cum Glossa magna circa fin. in cap. *Nullus*, dist. 61. S. Thomas 2. 2. quæst. 63. art. 2, ad 3. Garcias *de Benefic.* part. 7. capit. 16, num. 2. et alii passim. Et ratio est, quia si electio impugnari posset in foro externo seu Judiciali, ex solo motivo, quod non fuerit electus dignior, omnes propemodum electiones possent impugnari, et sic aperiretur via infinitis litibus, quod esset maximum absurdum et incommodum. (17. Immo electio digni, prætermissa digniore, potest aliquando esse nedum valida, sed etiam licita; possunt enim Electores sine culpa eligere dignum, omisso digniore, in variis casibus. Et primo sic possunt, quando id exigit necessitas Ecclesiae, ut si conferenda sint duo Beneficia, alterum Parochiale, quod tenues redditus, et alterum simplex pinguis, et non concurrant nisi duo oppositores, tunc non est eligendus dignior in Beneficium pinguis, sed in Parochiale, licet sit tenue, quia bonum commune debet præferri bono particulari, et Ecclesia Parochialis exigit prudentiorem, ac doctiorem, nullo habito respectu ad introitus. Sotus lib. 3. *de*

*Justitia*, quæst. 6, art. 3. ad secundum argumentum; Bannes 2. 2. dub. 3. conclus. 3. Serra 2. 2. qu. 63, art. 2. Donat. loco citat. quæst. 27, num. 2. Viva in proposition. 47 Innocentii XI, num. 17. et alii. Secundo, potest eligi minus dignus omisso digniore, quando major pars Electorum vult excludere digniorem, et nisi eligatur dignus, vult eligere indignum; tunc enim licite potest eligi dignus, omisso digniore, cum sit hoc magis utile Ecclesiae, ex quo sic repellatur ab ipsa indignus, qui a majori parte fuisset electus, nisi minor pars concurrisset ad electionem minus digni. Donat. loc. cit. num. 8. loc. cit. num. 17, § *Loquitur secundo*, et alii. Tertio, potest eligi minus dignus, relicto digniore, quando major pars Electorum ita firmiter decrevit eligere minus dignum, ut moraliter sit certum quod talis evadat electus, tunc enim minor pars poterit licite se illi conformare pro conservando bono pacis, quia in tali casu est impossibile eligere digniorem stante malitia cæterorum Electorum, et aliunde Electio digni, relicto digniore, non est intrinsece mala, sicuti electio indigni, quæ ex dictis supra n. 11, nulla ratione potest fieri licita. Cajetan. 2. 2. qu. 63, art. 2. Sotus loc. cit. Bannes loc. cit. numer. 14. Lezana part. 1, cap. 15, num. 14. Donat. loc. cit. num. 6. Quarto, potest eligi minus dignus, omisso digniore, quando minus dignus est magis utilis, vel quia est magis potens ad tuenda Jura Ecclesiae, vel quia est magis sedulus, vel quia est magis expertus, vel quia est magis acceptus populo, vel quia est indigena, vel quia minus detinetur extraneis curis, vel aliis de causis, quas varias enumerat Barbo. in *Collect.* ad sess. 24. *de Reformat. c. 18. a n. 129.*

(18. Et ratio supradictorum est, quia major dignitas ad Prælaturas, et Beneficia Ecclesiastica non est præcise mensuranda ex majori scientia, vel majori vitæ probitate, sed etiam ex prudentia, solertia, dexteritate ad regendum, nobilitate, et potentia Familiæ ad Ecclesiam defendendam ab inimicis Christi, ejusque jura tuenda, et ex variis aliis circumstantiis externis; adeo ut omnibus insimul consideratis, Ecclesiae, sive prælatu, cui præficitur, cæteris utilior fore credatur. Hinc S. Thom. 2. 2. qu. 63. art. 2. in resp. ad tertium, notanter sic inquit: « Sed quantum ad conscientiam Eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparisonem ad bonum commune; quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, et alius præferatur, oportet quod hoc sit propter aliquam causam, quæ quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc, erit ille qui eligitur magis idoneus; si vero non pertinet ad negotium, id quod consideratur ut causa, erit manifeste acceptio personæ. » Et ibidem quæst. 185. art. 3. *In corpore*, ait: « Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem, sed meliorem quo ad regimen Ecclesiae, qui scilicet possit Ecclesiam et instruere, et

defendere, et pacifice gubernare;» et in quodlibet 6. art. 9. dicit: «Aliquis potest dici melior dupliciter; uno modo simpliciter qui est sanctorum plus habens de caritate, alio modo dicitur aliquis melior quo ad aliquid. Contingit autem quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, ut Prælatum suscipiat, quia forte potest Religionem magis juvare vel per consilium sapientiæ, vel per auxilium potentie, etc. Non ergo semper est eligendus melior simpliciter, sed quo ad aliquid.» Hæc D. Thom.

(19. Elector renuntians electioni, si pœniteat, et se retractet, re adhuc integra, debet admitti cum cæteris Electoribus ad eligendum in Capitulum, argum. cap. *Lectæ 14. de Renunt.* Glossa ibidem, et Donatus loco citato qu. 18. 1. (20. Secus autem, re non amplius integra; cap. *In causis 30. de Election.* et Glossa ibid. verb. *Cum res non esset integra.* Remittentibus enim actiones suas, non est amplius regressus ad eas, ff. de *Edilit. edict.* leg. *Quæritur: § Si venditor*, et cap. *Quod semel 21. de Regul. Juris* in 6. ibi: «Quod semel placuit, amplius displicere non potest.» (21. Res autem tunc dicitur integra, quando non fuit exsecuta, neque cepta; colligitur ex cap. final. § *Officium autem, de offic. Judic. deleg.* in 6. c. *Quicumque 11. de Sententia Excom.* eod. in 6. et ibi Glossa verb. *Re integra*, leg. *Et quia 6. ff. de jurisd. omn. jud.* Et contra tamen res desinit esse integra quando incipit aliquo modo exsequi, etiam per solam citationem, et in præsentem casu per solam renuntiationis spontaneæ acceptationem a Prælate per scripturam, vel coram testibus formiter recepta. Sanchez de *Matrimon.* lib. 8. disp. 32. ubi ex multis ostendit rem non esse integram, ubi prælatum acceptaverit. (22. Elector quamvis ante publicatum scrutinium possit vocem suam variare, non potest tamen publicato scrutinio; et a fortiori si jam miserit schedulam suam in urnam in communi loco præparatam in finem eligendi, c. *Publicato § 58. de Elect.* et Gloss. ib. verb. *Variare*, et Glossa in c. *Quia propter 42. de Elect.* verb. *Publicent.* Et ratio est, quia si ponens schedulam in urnam posset illam reassumere, et votum mutare, daretur locus dolis, fraudibus, jurgiis, et litibus innumeris, cum sic posset quilibet ex malitia electionem impedire, communitatem inquietare, quod est contra dispositionem cap. *Cum inter universas 18. de Electione.*

(23. Electores quamvis sine vera, et justa causa nequeant interponere appellationem, seu oppositionem, ne procedatur ad electionem, possunt tamen ex justa, et vera causa, ut v. g. si Electores sint inhabiles propter suspensionem, Interdictum, Excommunicationem, vel ob aliquod simile; cap. *Consideravimus 10. de Election.* et Glossa ib. verb. *Post appellationem.* (24. Electores postquam aliquem unanimi consensu elegerunt, non possunt deinde illi electioni opponere, nisi ex causis de novo emergentibus, vel nisi eis improbitas morum electi de novo fiat manifesta, quæ tempore electionis erat

illis totaliter secreta, vel incognita, textu expresso in cap. *Nulli 8. de Election.* in 6. ibi: «Nulli licere decernimus, postquam in scrutinio nominaverit aliquem, et electio fuerit subsecuta, vel postquam præstiterit electioni de ipso ab aliis celebratæ consensus, illum super electione ipsa, nisi ex causis postea emergentibus, impugnare, vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, vel alicujus alterius latentis vitii, vel defectus, quæ verosimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur,» et ibi Glossa verb. *Latentis*, et verb. *Defectus.* (25. Talis oppositio fieri potest triplici modo; scilicet contra formam electionis, contra electum, seu eligendum, et contra Electores, dummodo tamen fiat in scriptis cum juramento, et causa rationabili exprimenda in litteris oppositionem et appellationem continentibus, textu expresso in c. *Ut circa 4. de Elect.* in 6. ibi: «Edicto perpetuo providemus, ut si quando aliqui electionibus, postulationibus, vel provisionibus se opponunt, proponendo aliqua contra electionis, postulationis, seu provisionis formam; aut personas eligentium, vel Electi, sive illius, cui erat provisio facienda, sive facta, et propter hoc contigerit appellari; appellantes instrumento publico, seu litteris super appellatione confectis, omnia, et singula expriment, quæ in formam intendunt objicere, vel personas coram personis authenticis, aut personæ, quæ super hoc testimonium perhibeant veritati, corporali præstito juramento, quod credunt ea, quæ sic expriment esse vera, et se posse probare,» et ibid. Gloss. verb. *Formam* et verb. *Eligentium.*

(26. Electoribus est interdictus abusus illicitarum Capitulationum, quas, occurrente vacatione Ecclesiarum, seu Monasteriorum, interdum fieri contingit, et ad hoc datur hic Innocentii XII Constitutio, qua, ad tollendum abusum illicitarum Capitulationum, quas, occurrente vacatione Ecclesiarum, seu Monasteriorum, ab iis, ad quos Electio personarum illis præficiendarum spectat, interdum fieri contingit, innovantur Constitutiones Nicolai III, Pii V, et Gregorii XIII, in similibus editæ, cum additione pœnarum, ac prohibitione dictarum Capitulationum sub eisdem pœnis.

#### INNOCENTIUS PAPA XII,

AD FUTURAM REI, ETC.

Ecclesiæ Catholicæ per universum orbem diffuse regimini, meritis licet imparibus, Divina dispositione præsidentes, ea, quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, sive ad illicitorum, ac præsertim Ecclesiasticæ libertati adversantium juramentorum abusum tollendum, sive ad quamcumque avaritiæ labem a personis in sortem Domini vocatis, quas non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere maxime convenit, excludendam prudenti, salubrique consilio, ac illo, qui secundum scientiam est, zelø constituta, et ordinata esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter robo-

ramus, novisque præsiis, ut serventur exactius, constabilimus, ac alias desuper concessæ nobis a Domino potestatis partes studiosa caritate interponimus, sicuti Ecclesiarum omnium, quam gerimus, sollicitudo postulat, Nosque omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, rectam, et felicem Ecclesiasticarum rerum directionem, nec non animarum pretioso Unigeniti Dei Filii D. N. J. C. sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Dudum siquidem, postquam fel. rec. Nicolaus Papa III, Prædecessor noster, accepto in nonnullis Ecclesiis de earum consuetudine observari, ut cum earum Prælati ad Ecclesias ipsas primo accederent, vel cum de recipiendis ibidem novis Canonicis ageretur, nec Prælatos admitti, nec Canonicos aliter recipi in eisdem Ecclesiis, nisi jurassent statuta, et consuetudines ipsarum Ecclesiarum scriptas, et non scriptas inviolabiliter observare; inter Laicos quoque multarum Civitatum, Castrorum et Terrarum eum consuetudinis morbum in suis Potestatibus, Rectoribus, vel Officialibus assumendis irrepsisse, ut ipsi Potestates, Rectores et Officiales ad ejusmodi Potestarias, Rectorias, et Officia nullatenus admitterentur, nisi prius se statuta ipsorum locorum clausula servaturos similiter jurassent: In statutis vero, ac consuetudinibus supra dictis interdum aliqua reperiri illicita, sive impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia, ne sub tali generalitate jurandi sic jurantibus peccandi occasio præberetur, animarum periculis obsistere cupiens, salubri sua, ac generali Constitutione præceperat a quibuscumque scientibus contineri in prædictis Constitutionibus, et statutis illicita, impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia, juramenta hujusmodi nullo modo præstari; Ac præterea decreverat talia juramenta ea intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita, vel impossibilia, seu Ecclesiasticæ libertati obviantia observarentur, cum etiam sub tali intentione præstari non possent absque Divinæ Majestatis offensa in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati Ecclesiasticæ obviantibus non servanda: quin potius pro animarum salute, si sub forma præfata, vel simili, aliquos ignorantes prædicta illicita, seu impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ obviantia jurare contigisset, ad observanda dumtaxat licita, possibilia, et libertati Ecclesiasticæ non obviantia Jurantium intentionem referri debere; Declarans super juramenta sub hujusmodi generalitate qualitercumque, et sub quamcumque verborum forma præstita, vel præstanda, ad licita, possibilia, ac Ecclesiasticæ libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque Jurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non teneri.

§ 2. Rec. mem. Gregorius Papa XIII, etiam Prædecessor noster, per quasdam suas desuper sub plumbo expeditas literas, qua-

rum initium, *Inter Apostolicas*, etc., prædictam Nicolai Prædecessoris Constitutionem, itidemque alias omnes Canonicas sanctiones de abusu, et reprobatione juramentorum hujusmodi promulgatas innovavit, voluitque eas ubique ab omnibus, etiam quoad præterita, inviolabiliter observari. Præterea præcepit, et interdixit Prælatibus, Canonicis, et aliis supradictis, nec non Ecclesiarum Capitulis, et Monasteriorum cæterisque Conventibus, Civitatum quoque Castrorum, et Terrarum Communitatibus et personis quacumque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiasticæ aut Decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante, sive post electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus ubicumque, ac quocumque tempore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis quocumque tempore observatæ, quæ potius corruptela esset censenda, sive in genere, sive in specie præstare, reddere, vel exigere, neve super præstitis, redditis, vel exactis eo usque quempiam in judicio, vel extra illud inquietare auderent quocummodo, vel turbare.

§ 3. Ac illos, qui juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticæ libertati, aut decretis dicti Concilii obviantia exigere contendissent, Episcopos quidem, et alios quoscumque Pontificali dignitate præditos a Divinis suspendit: Capitula vero, Conventus, eorumque Ecclesias, et loca omnia Interdicto Ecclesiastico supposuit, ac singulares personas excommunicationis sententia innodavit, inhabilesque fecit ad obtenta, et alia obtinenda eo ipso, sibi que, et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis, et interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuo reservavit. Decernens eos, qui talia juramenta scienter præstitissent, usu, et commodum rei, ac gratiæ, cujus causa jurassent, eo ipso privatos esse, alios vero ignorantes ad præstitorum juramentorum hujusmodi observationem minime teneri, et alias prout in Præfatis Gregorii Prædecessoris litteris, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 4. Porro antequam litteræ hujusmodi emanassent, similis mem. Pius Papa V, etiam Prædecessor noster, ejusmodi Concilii Tridentini Decretis, quibus, ne quidquam, quod in usus pios non convertatur in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canoniciatum, aut Præbendam, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas quocummodo persolvi possit, strictissime prohibetur, inhærens, suam hac in re Constitutionem ediderat tenoris, qui sequitur, videlicet: «Pius Episcopus Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Durum nimis, et incommodum arbitramur, quod Ecclesiarum Ministri in iis, quæ ad ipsorum